

Cum

SIDUS ONOMASTICUM,

VIRI

EXCELLENTISSIMI, CLARISSIMI

Atq; DOCTISSIMI DOMINI,

DN. M. PETRI JAENICHII,

RECTORIS GYMNASII THOR.

MERITISSIMI,

ANNO CIↃIↃCCX. DIE XXIX. IUNII.

SUMMA PROSPERITATE ILLUCESCERET,

HAC LAURO POETICA,

EANDEM EXORNARE NITEBANTUR

CURIÆ SUPREMÆ ET PRIMÆ

G. T. AUDITORES.

THORUNII,

Impressit JOANNES NICOLAI, NOB. SENATUS ET GYMNAS. TYPOGRAPHUS.

Heus Aurora vigil jucundae nuncia lucis,
Quae vehis axe diem croceo velamine fulgens,
Purpureas aperito fores illuſtris ab ortu,
Spargas laeta novo ſpatioſas lumine terras,
Exprime feſtivæ veſtigia clara diei,
Oſtendas plauſus certiſſima ſigna recentis.
Titan, aſtrorum Princeps, ac luminis author
Tu, qui flammiferis terras complexus habenis
Volvis inexhauſto currentia tempora motu,
Dones immenſo pulcherrima lumina mundo,
Affer ab axe diem Petro Pauloq; dicatam,
Pectora quo plauſu ſvavi recreata vireſcant.
Salve feſta dies dulci nitidiſſima plauſu!
Salve laeta dies laudum cantata triumphis!
Gratior es nobis, verum gratiſſima PETRO
JAENICHIO, *cujus clariſſima nomina geſtas.*
Cauſa potens ſupereſt, Excellentiſſime RECTOR,
Quae Tibi materiem laetandi præbuit amplam.
Ecce Tuo rediit decoratum nomine feſtum,
Feſtum jucundum, feſtum memorabile cunctis.
Ergo Triſtitiae contemnas vincula ſaevae,
Gymnaſii ſublime Caput. *nunc ſumito vultus*
Laetitia celebres, fer laudum dona Jehovae,
Qui tam ſolenni Te proſperitate beatum
Incolumi juſſit Petri Pauliq; decorum
Nomine praeclaro contingere robore Feſtum.

Fe-

Felix illa dies, niveo ſignanda lapillo,
Quæ Te Vir, cujus pectus divina Minerva
Omnibus excoluit ſtudiis & moribus almis,
Vir, cujus decorat prudentia maxima mentem,
Vir, quem nunc celebrem facundæ munere lingvæ
Attonitis animis haurit ſtudioſa juventus,
Felicem noſtras olim perduxit in oras.
Felix illa dies, niveo ſignanda lapillo,
Quæ Tibi formoſam Thalamo fulgente Maritam
Adjunxit, cujus mirantur ſingula formam,
Cujus jucundo frueris, Vir dulcis, amore.
Felix illa dies, niveo ſignanda lapillo,
Quæ tulit ad gratas mortalis luminis auras
Infantem clarum forma, quem ducis amore
Grandi, qui decus eſt Vobis ac una voluptas.
Felix illa dies, niveo ſignanda lapillo,
Qnæ nunc illuxit, Petro Pauloq́ dicata,
Quæ Tibi quam plures præbet nitidisſima plauſus.
Hæc eſt illa dies inſigni Nomine clara,
Vir Venerande, TUO: *qvare diffundito vultus*
Lætos, atq́ diem talem ſalvere jubeto.
O ſtudioſa cohors quæ portas læta juventæ
Inſignis lauros virides! ah! concipe plauſus,
Fundas IAENICHIO *dulcisſima pectore vota:*
Vivito IAENICHI *per plurima tempora felix.*
Quis TE *non hodie,* RECTOR *venerande, ſalutet?*

Quis

Quis TE *non laudet? Proh Vir doctissime rerum!*
Quanta Doctrina, quanta nos excolis arte?
Ex TE *promanat divina scientia semper,*
Ex TE *percipimus pulcherrima dogmata cuncti,*
Mentem possedit doctam doctissima Pallas,
Insedit linguæ facundæ Svada diserta:
Te delectamur, TIBI *dicimus Ore fideli:*
Vive Caput, lux clara, decus sublime Palæstræ.
Ducimus esse tamen justum, quo mente fideli
Devotaq; TIBI *nunc pro bonitate Fideque*
Nominis inq; TUI *splendorem dona feramus.*
Sic ferimus, capias, Excellentissime RECTOR,
Quæq; propinantur TIBI *vota benigna benigne*
Excipias; quare devota mente vovemus:
Vive diu felix, Excellentissime RECTOR.
Servet TE *Dominus cœli, terræq; marisque*
Jucundæ Patriæ, quam magno ducis amore,
Quæ res insigni superat dulcedine cunctas.
Servet TE *Dominus cœli, terræq; marisque*
Uxori charæ, servet Natæque decoræ,
Ut prodesse queas ipsis per tempora longa.
Servet TE *Dominus cœli, terræque marisque*
Gymnasio, superes grandævi Nestoris annos.
Vive diu felix, JAENICHI *clare, vovemus.*

4533